



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. In Samsone, meliore Hercule, quanta decora donaq[ue] Dei conspecta
sint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Cap. L. Vniuersum Pygmæis, Gigantibus, alijsq; monstris ornari. 697

autem magnitudinis & laudis fuerunt, apud Rhodios, apud quos maximè celebratus est is, qui Soli sacer est habitus. Vt ab imaginis suæ enormitate maiestatem sibi faceret, ipse Nero colosseum se pingi iussit. In Ægypto structuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, & vltra omnem excessitatem, quæ manu fieri posset, fastigiata fuerunt, pyramides dictæ, sub quibus reges sepeliri voluerunt, vt magnos ibi sitos esse, tumulorum ostenderet magnitudo. Et palatia alta quid aliud loquuntur, quàm à magnis ea dominis fuisse ædificata? Est autem & homo quoddam *adiseium*, vt Hebræi loquuntur. Laudabilis est igitur in magnis corporibus hominum Plasmator, & quidera magis, quàm in pueris colostratis, aut viris euiratis. Vt enim in cælo maior quædam dignitas apparet, quàm in terra, quæ est instar puncti cælo comparata; ita quoque viri grandes atq; fortes aliquid dignitate plenius præ se ferunt, quàm pumili, qui tantùm frustum esse, aut punctum hominis videntur. Est enim etiam in paruis magnus sit Deus, vt diximus, & Zachæus *statura pusillus* animo fuerit excelsus, tamen oculi mortales rebus magnis magis implentur, quibus aspectis, pronissimum est dicere: *Magna opera Domini*. Rarò audiuntur homines staturæ procerioris optare, vt sint breuiores; breuiores autem id sæpissimè optant, vt sint longiores. Sed quia nemo nostrum *cogitando potest adycere ad staturã suam cubitum vnum*, calceus subere altissimo subsutus debet implere, quod pedi deest; vt quem natura breuem fecit, sutor faciat longiorem.

Quoniam igitur *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, etiam magna quædam vel corpora, vel robora voluit esse in Mundo. Idcirco, ante diluuium *gigantes erant super terram*, & post cataclismum laudati sunt *Emim, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim-firpe, quasi gigantes crederentur*. Og quoque *rex Basan de stirpe gigantum* dicitur fuisse, vti & *Saph*, & aliorum gigantum saepe fit, in diuinis litteris mentio. Sed mihi ante omnes memorandus est Samson, si non statura, saltem viribus gigas, qui, vt D. Augustinus ait, *Hebraorum iudex, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules*, Et, teste Philastrio, *Pagani fortes viros ex*

SSSS 2 Samsonis

Idem l. 36. 74

Luc. 19. 3.

Psal. 110. 2.

Luc. 12. 23.

XII.

Psal. 144. 3.

Gen. 6. 4.

Deuter. 2. 10.

2. Reg. 21. 18.

S. Augustin.

l. 18. ciu. c. 19.

Philast. lib.

de Hærel. 6. 8.

Samsonis figura usurpantes, Hercules nuncuparunt. Ac sanè multa inter Samsonem atq; Herculem conueniebant, tempus, locus, vires, labores & ærumnæ. Eodem vtrumq; sæculo vixisse innuit Eusebius, cuius hæc sunt: *Mihi videtur Hercules & Samson non multum inter se distare tempore: siquidem ambo circa Truiscaptiuitatem fuerunt.* Et D. Augustinus: *His temporibus Hercules in Tyria, aliàs Syria, clarus habebatur.* Eodem ferè vtrumque loco celebrem fuisse Cicero docet & Herodotus, apud quos Hercules à Tyrijs & Palæsthinis colebatur, Tyrijs autem & Philisthinis Iudæa, in qua Samson floruit, contermina erat. Competunt & vires, & labores, & ærumnæ, & ipsæ picturæ. Hercules fertur in prima jam ætate, adèd fuisse robustus, vt vel in cunis duos angues, arctato gutture, eliserit. De Samsonescribitur: *Creuit puer, & benedixit ei Dominus, cepitq; Spiritum Domini esse cum eo.* Quia heroica animi & corporis fortitudine eum donauit. Hercules fingitur adamantinas inferorum portas effregisse, vt inde Cerberum catenis vincitum in auras extraheret: Samson ab hostibus obsessus *apprehendit ambas portas fores cum postibus suis & sera, impositasq; humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Hercules etsi apud Omphalem seruijt, & effeminatus est, robur tamen corporis non perdidit, sed Cacus, & Nessus, aliq; monstra etiam effeminatus interfecit. Samson, etsi Gazæ meretricatus mortaliter peccauit, tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, qua impositas humeris vrbs portas in montem tulit. Siquidem fortitudo hæc erat gratia gratis data, non gratum faciens. Quare vnà cum peccato mortali poterat consistere. Sita enim erat in eius Nazaræatu, id est, in coma intonsa ac abstinentia à vino & sicera. Cùm ergo fornicatio non sustulerit eius Nazaræatum, neq; fortitudinem eius tolli necesse fuit. Hercules non gladio, non hasta, sed claua armatus, Samson itidem neque ense, neq; lancea, sed asini maxilla, qua tamquam claua mille Philisthæos mactauit, instructus pingitur. Verque leonis domitor, leonis exuias mericus est; ille tamen victori suo pellem, iste dapem dedit. Tametsi autem Hercules Nemeæum illum, & Manalium alterum terribiles ambos, Samson tantum

Euseb. Præfat. in Chron.

S. August. l. 18 de ciuit. c. 12.

Cic. lib. 3. de Nat. Deor.

Herodot. l. 1.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

Iudic. 13. 24.

catulum leonis dicatur occidisse; nihil id adimit eius viribus, quia catuli leonum ob maiorem famem, & iuuenilem animositate sunt grandibus sauiiores. Leoni praecipua generositas, tunc, cum colla armosq; vestiunt iuba, ait Plinius. Herculem nouerca Iuno, Samsonem dolosa Dalila, illa odio, haec ficto amore agitauit. Hercules Centaurum, Hydram, ceruam aripedem, Harpyias, seu Stymphalides aues, aliaq; monstra superauit; Samson Acalonitarum, Gazæorum, Philisthinorumq; aliorum impetum fregit. Hercules in monte Oeta mortem ultro suscepit; suscepit & Samson. Ac, ne Abyle & Calpe Herculis quoque columnæ in Occidente positæ deessent, Samson apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq; earum dextera, & alteram laua tenens ait: *Moriatur anima mea cum Philisthim, concussisq; fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & ceteram multitudinem, qua ibi erat: multoq; plures interfecit moriens, quam antè viuis occiderat.* Qua in re fortior fuit Hercule, qui se ipsum occidens peccauit, non peccauit autem Samson, quia, vt S. Augustinus respondet, occidit se Dei instinctu: *Spiritus, inquit, latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat, adeoq; hic preces eius exaudivit, & pristina fortitudinem ad id faciendū restituit.* Cùm ergo Deus vires illi ad hanc ruinam faciendam supernaturaliter suppeditarit, credibile est, Samsonem, tamquam publicum populi sui iudicem vindicemque, priuatam excæcationis suæ vltionem, etiam ad Dei honorem, & Reipublicæ bonum retulisse. Non ergo peccauit tunc Samson, quia columnas domus suæ concussit, vt eius ruina insignem suis Deiq; hostibus cladem inferret, laudesq; Idolo Dagon à Philisthæis, ob se captum attributas adimeret, Deoq; vero restitueret. Non itaque propriè & Physicè se occidit, vt; Ajax, qui in gladium incubuit, aut sicut Hercules, qui in rogam sponte se coniecit, sed permisit se duntaxat communi cum hostibus ruina opprimi, sicut postea Eleazar, qui regium elephantem subiens occidit, eiusq; ruentis mole obrui se permisit, vt populum liberaret. Quamobrem neq; morali etiam imputatione se ipsum occidit, quippe directè destinauit occidere omnes principes Philisthinorum, vnaq; magnam populi

Plin. l. 8 c. 16.

Iudic. 16. 28.

S. August. l. 7 de ciuit. c. 21.

1. Machab. 6. 46.

Ita Franc. Victoria Relect. 10. de Homi-

eid. Dom. So-
to lib. 2. de
Iust. q. 9. art.
7. Leon. Lef.
l. 2. de Iustit.
cap. 9. dub. 6.
num. 33.

S. Ambros.
ap. 70.

Macrob. lib. 1.
Saturn. c. 10.

Psal. 18. 6.

hostilis partem (tria enim millia, oppressa sunt) se verò ipsum indirectè & permissiuè duntaxat voluit eadem clade inuolui, quam euadere non potuit. Quod facinus, sicut heroicæ fortitudinis fuit, ita & magna pro præteritis culpis erat poena & satisfactio. *Non eligitur*, inquit Caietanus, *in huiusmodi casibus mors propria in se ipsa, sed per se eligitur mors hostium, & concomitans propria mors toleranda admittitur, propter bonum ultionis. Sic princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit.* Neque milites se se mori in acie exponentes dicuntur se ipsos, sed hostem velle occidere. Sine vlla igitur conscientiae scrupulo in campum prodire possunt praeliaturi; immò cum magna fortitudinis gloria pedem conferunt. Qua de causa D. Ambrosius de Samfone ita loquitur. *Et si incomparabilis in hac vita fuerit, tamen in morte se ipsum vitæ, & insuperabilem gessit animum, ut contemneret, & quasi pro nihilo haberet vita finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur summi, quòd victoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum, sed triumphalem inuenit. Denique non telis, sed cadaueribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho.* Si ergò virtus militis, gloria est ducis; si solis claritas est claritas conditoris, rectissime Deus & in Hercule, si quis vniquam fuit, laudatur, & in Samfone. Nam & nomen vtriusq; in hoc consentit. Quemadmodum enim apud profanos scriptores Hercules symbolum solis exitit; ita vicissim apud sacræ linguæ autores Samfon idem est, quod sol latitia, vel quod paruum sol. Reuera Herculem solem esse, ait Macrobius, *vel ex nomine claret. Hercules enim quid aliud est, nisi heras, id est, aëris cleos? Quæ porro aliæ aëris gloria est, nisi solis illuminatio; cuius recessu profunditate occultitur tenebrarum? Præterea sacrorum administrationes apud Ægyptios multiplici actu multiplicem Dei asserunt potestatem, significantes, Herculem hunc esse.* Hinc illis duodecim labores Herculis, sunt duodecim Zodaici signa, per quæ sol quotannis currit tamquam fortissimus Hercules, immò tamquam quidam gigas. Vnde Dauid, vbi ostendit à cælis gloriam Dei enarrari, solem, atque inde Numinis claritatem se se hominibus patefacientem ita describit: *In sole posuit tabernaculum suum*

Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit ut gigas ad currendum viam, à summo calo egressio eius: Et occur- sus eius usq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Samsoni nascenti mater diuina inspiratione edocta nomē im- posuit, D. Chryostomo teste; significat enim *Samson*, solem ut dixi, *latitiae*, vel *gandij*, itemq; *paruum solem*; quem Deus oriri fecit Israelitis, per Philisthinos oppressis, & in tenebris tristitiae sedentibus, ut eos noua luce libertatis & felicitatis perfunderet. Merito ergo hunc Samsonem Paulus etiam inter veteris testamenti heroes collocans, à fide, & fortitudine lau- dauit. Quem secutus S. Ambrosius ait: *Cum diuturna iniuria longa subiectionis ita essent depressa Hebraorū pectora, ut nullus virili ingenio ad libertatē animos tollere auderet, ortus est illis Samson diuino oraculo praedestinatus, magnus vir, nec in pluribus numeran- dus, sed in paucis praestantissimus, & quod sine ulla controuersia sit, viri bus corporis omnium primus; eoq; ingenti admiratione nobis spe- ctandus à principio; non illa qua temperantia & sobrietatis iam in- de à pueritia vini abstemius praclara insignia dedit; nec illa, qua in- tonso capite Nazaraeus sacra diu seruaui custodia; sed ab adolescen- tia, qua in alijs atas mollior, in hoc egregia atque supra humanum modum perfecta virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quod non perfunctorie tanta eum ante- iisset gratia, ut descenderet Angelus per quem ortus eius prater- stem parentibus annunciaretur, futuri regimen & praesidium suis. Nam granibus iam diu Palaesthinorū imperijs affluēbantur. Adeo non solum magnae virtutis, sed etiā magnae fuit vtilitatis Sam- son, qui solus in medio campo pluribus centurijs praestabat: quamquam is vtiq; miraculum potiùs, quàm monstrum fuit; & si in gestis tam mirabilibus non erat monstruosus, erat tamē prodigiosus. Appositè igitur, hoc loco, est commemoratus, tamen si eius fortitudo non in gigantea corporis mole, sed in capillis sita erat. Nec enim hic confugere volo ad fabulas Hebraeorum, apud quos Rabbi Simeon Hacchafid audeat dicere, Samsonem non solum fuisse gigantem, sed etiam gigantem tam enormem, ut illi numquam parem viderit Mundus. Scri- bit enim humeros eius tam fuisse latos, ut vnus ab altero sexa-*

S Chryso. st.
hom. 8 in
Ioan.

Hebr. 11. 32

S. Ambros.
ep. 24. ad Vi-
gilium.

R. Simon.
Hacchafid in
Suta. cap. 1.

ginta

496 Cap. L. *Vniuersum Pygmæis, Gigantibus, alijsq; monstris ornata*
ginta cubitis distaret. Quod mendacium sexaginta cubitis distat à veritate.

XIII.

Itaque quod diuinus codex in Samfone, id profani scriptores in Hercule ostendere voluerunt, & in alijs quoque fabulis, quas de viris fortibus excogitauerant; quos finxere gigantes, vel monstris viribus homines fuisse; vt de Sigonotho, Goffredo dentato, Amadiso eiusq; fratribus, de Orlando, Rugerio, Rodomonte, Sigfrido corneo, Wolfardo, Ilfungo monacho, & mille alijs. Virgilius certè Turnum induxit, qui è terra saxum adèd ingens sustulerit, atque in Æneam vibrarit, vt

Virgil. lib. 12.
Æneid.

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Nihil hîc dicam de Aloeo, Encelado, Tityo, Orione, Atlante, Antæo, Briareo, Gyge, Oromedonte; omittam Astneum, Ephialtem, & quos *parsu terra nefando*

Virgil. lib. 1.
Georg.

Caumq; Iapetumq; creat, sauumq; Typhoca,

& reliquos *Titanas ausos rumpere imperium Iouis,*

Plutarch. in
vit. Romuli.
Crinit lib. 15.
cap. 3.

veris hoc argumentum historijs potest absolui: & vel in illa sola Samsonis robur exprimitur, quam Plutarchus & Crinitus referunt, de Cleomede Astypalæo, qui Lacchum Epidamni-um pugilem, armatū vnico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, cū à iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, columnam, qua ludi litterarij domus fulciebatur, disiecit, eaq; ruina pueros omnes adobruit. Quis hunc non dicat alterum Samsonem?

XIV.

Testatur Solinus, Varronem in relatione prodigiosa fortitudinis annotasse, Tritanum Samnitē gladiatorem natura fuisse, qui & rectis, & transuersis neruis, non modò cratē pectoris, sed & manibus cancellatis & brachijs omnes aduersarios leui tactu, ac pænè securis congressibus vicerit, eiusque filium militem Cn. Pompeij pari modo natū, ita spreuisse hostem prouocantem, vt inermi eum dextera & superaret, & captum digito vno in castra Imperatoris sui reportaret. Et quoniam sermo nobis est de ijs, qui *fortes facti sunt in bello, non tacebo*

Hebr. n.